

rum bona sub hasta venumdentur. Hæc, atque alia hujusmodi fœderatorum postulata ægre ab Henrico probabantur; licet enim a catholica religione dissentientes armis persequi statuisset; attamen multa animo obversabantur, quibus difficulter adducebatur, ut Tridentinum concilium reciperet, Inquisitionem institueret, arces fœderatis tribueret. Igitur partim cunctando, partim variis edictis hæreticos coercendo, rem extrahere, atque ex tempore firmiora consilia capere nitebatur. Fœderati contra suspicione tacti, felicibusque incrementis in Lutetia totaque Gallia erekti, acrius urgent, Sedanum oppidum, irrito licet successu, adoriuntur. Rosnæus, vices Guisii obtinens, multis e suis ab hoste cæsis, quibusdam captis, ad reliquas copias Giametzium circumfidentes se adjungit. Henricus Borbonius, Condæi Princeps, ocyssimo veneno a quodam e suis familiaribus trium horarum spatio est sublatus. Unus e facinoris reis a quatuor equis in divi Joannis Angeli oppido disceptus, meritas poenas luit.

Henricus
Condæus
Princeps
veneno in-
seriat.

Guisius vero, Giametzii obsidione relicta, paucis comitanibus, Lutetiam contendit. Rex, nuntio ejus rei ad se allato, haud parum commotus, Belleurium in Suesiones obviam mittit, qui, ne Lutetiæ appropinquet, denuntiet; si id facere velit, pro majestatis reo, dissensionumque civilium auctore, Henricum habiturum. Ille, cum ambiguo responso Belleurio dimisso, septem aut octo nobilibus stipatus Lutetiam accedit; ad Reginæ matris ædes se confert; cum ea statim Regem adit; qui, cur se invito, Lutetiam venerit, querit. Ille, ut quæ a se gesta essent, Regi probaret, venisse, inquit; seorsimque paulisper cum Regina matre collocutus abit. Tum Henricus custodes corporis augeri, præcipua quædam in urbe loca occupari, unum ex singulis domibus arma capere jubet. At sero, Lutetiam in tumultum proclinatam, Guisii adventu populum commotum, animadvertisit. Cum nemo pareret, inquire in nonnullorum domos, in auctoresque animadvertisi præcipit: ea res ad tumultum maturandum, atque aper-te plebem concitandam valuit. Momento fere ex ea urbise parte, quam *universitatem* vocant, studentium manus plebi immista confluens, Maubertam plateam occupat. Rumore extemplo per urbem dilapso, Parisienses doliis vineas agunt,

Henrici
Regis ad
Guisum
Ducem Lu-
tetiae ap-
propinquan-
tem obnun-
tatio.

Guisius
Dux Lute-
tiam ingre-
ditur.

Parisen-
seum tumul-
tus.

via-